



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Quomodo se Canisius ad mortem compararit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Punitur homo
parum obe-
diens.*

quebatur. Ad hæc obseruata est tanquam immis-
sa diuinitus commonitio populari homini quo
Canisius vtebatur amanuensi. Volentem eum
præmaturè domum abire rogauerat multum Pa-
ter, vt etiam num paululum immoraretur, sibi q;
dictanti nauaret operam. Homo alioqui, nec
ignauus, nec malus, seu quo stomacho, seu tædio
actus nullis flecti, aut teneri precibus potuit. Vix
autem è Collegio pedem extulerat, cum ignotus
quidā obuiam factus impacto in faciem imma-
ni colapho, malè multat. Nempe vt post illa mi-
nus durum os aduersus æquas amicorum Dei po-
stulationes ferret: & malo frōs domaretur, quam
verecundia non regebat.

*Quo modo se
Canisius ad
mortem com-
parari.*

Iam vero ingrauescente in dies valetudine,
quicquid virium reliquum erat prouide homo
Dei cōferre ad decretorium illud æternitatis mo-
mētum feliciter exigendū. Totus in vitam illam
vitalem, ac beatam prominebat: eam sic anhela-
bat, vt quicquid vel loqueretur, vel scriptitaret, in
eo maximè argumento versaretur. Duos, qui Ro-
mæ supererant, vetustissimi Societatis fratres, &
ipsi bonorum dierum, atq; factorum pleni, salu-
tari sic iubet. Salutem quoq; dices ex me Carissi-
mis

mis Fratribus Ioanni Paulo, & seniori Auilæ: mihiq; placebo, quod habeam vtrumq; Domino pro me supplicantem. Utinam in nostris animis vigeat, & quotidie crescat futuræ, & immortalis vitæ cupidus, vt rebus humanis exempti cum primis illis Patribus, qui nos cupide præstolantur, visione diuinalæti perfruamur. Et ad Gregorium Rosephium Augustam scribens ait, Benedictus fons ille bonoru, per quem augetur senibus torpor, fastidium, obliuio, incuria, molestia, & reliqua id genus incommoda, quæ nos in fragili tabernaculo habitare, & ad meliorem vitam tendere hortantur. Age Pater communes illi agamus gratias, in cuius manu sortes nostræ versantur. Ergo senilibus lætum cruciamentis, vt vitæ præsentis tedium, ac futuræ auditatem concientibus, illud habebat maximè ægru, quod expers communis rigoris cogeretur esse, videreturq; sibi immunitate, atque indulgentia illa non perinde ac deberet, ad virtutis profectum vti. Has ob causas, & ante omnia pro singulari sua erga Præsides verecundia, atq; veneratione, cum Præposito Generali cuperet ex se quam cumulatissime satisfactu, has ad eum literas dedit. Totas enim tanquam

Bb since-

sincerissimæ mentis speculum, & consummatæ
prope ultimum sapientiæ documentum insere-
re opportunum reor.

Pax Christi Iesu nobis æterna.
Admodum Reuerende
in Christo Pater.

Littere quibus
superiorum a
P. Generali be-
nedictionem
precatur.

In teralias consolationes, quæ mihi decrepitofere
seni suppetunt, ea vel maxima videtur, quod pa-
cem integræ sentiam cum superioribus, quos in
hac Societate summus Deus loco suo mihi prefixit.
Ego igitur, qui iam pridem, ut pote anno 1549. meam
Roma professionē sanctæ memoriae P. Nostro Ignatii
obtuli, iamq; natus annos 75. ad cuncta pene bo-
na inutilis fio, præsenti scripto ea complecti cupie-
bam, quæ ad veram pacem cum P.V.R. ut institu-
ti huius primario Antistite in eundam, ac stabilien-
dam haud parum facere videbantur. Ex his primū
statuo, quod ē cordis, ē corporis mei flexis geni-
bus oro supplex indigno mihi condonari quacunq;
ratione non modo Deum optimum Maximum, sed
ē ipsum Christi Redemptoris quintum Vicarium
clam,